

mus, quum argutæ inscriptioni elaborandæ damus operam.

* * Elegantia, quæ in inscriptione reperiatur necesse est, in *verbis & rebus* elucet. illa complectitur præter syntaxin ornatam figuras rhetoricas & locutiones emphaticas, quæ sublimitatem præ se ferunt; hæc vero in repugnantibus comparatis modoque alludendi ad historiam, sententiam aut adagium aliquod sita est. Videatur ven. IOACH. LANGIVS erudite differens in hodeio latini sermonis Cap. III. memb. V. p. 43. seq.

* * * Perspicuitas cuiuslibet orationis summum omnino est ornamentum, qua ratione doctrinaque præditi quam maxime delectantur. In qualibet proinde inscriptionis linea vel totus sermonis sensus vel certe maxima illius pars percipi debet. remouenda quoque sunt epitheta acumen parum promouentia, nec minus propositiones incidentes, a quibus circumductus stilus proficiscitur. Interea cauendum semper puto, ne nimia acuminum adfectatio in dicendo perspiciatur, quæ veræ & masculæ eloquentiæ amantibus prorsus est odiosa.

II.

*Diuerfa
genera.*

Inscriptiones autem sunt *duplicis generis, antiquæ * & nouæ. ***

* Antiquæ sunt, in quibus litteræ omnes sunt maiusculæ, verbaque singula per punctum sepatantur, excepta vltima voce, quæ in
linea